

aut reserant, cui strennue, ut ipse dicit, militat ensis Caesaris et duplex monarchie principatus ab ipso eorum regiminum profuse capiunt documenta. O ridiculum! iam enim solus cui creditur magister est in Israel, summus interpres legum et canonum, dictatque sine socio quid iuris in materia fidei, amborum testamentorum dei potens, veteris videlicet et novi. Ipse est omnium gerendorum maximus arbiter, cuius ex furia^a hac in tempestate pendent leges et prophete, qui eciam nunc adherens antiquo Augusto, nunc novo, nunc Wenczeslao, nunc Ruperto, quandoque vero neutri sed Errorio hosti utriusque imperii, quasi arans in bove^b et asino^c contra doctrinam Aristotelis nititur in eodem^c demonstracionis genere circulo demonstrare². Hunc portis suis ille tyrannus Angelus prefecit non aliter aptum custodem quam Pluto Cerberum ianuis Achirontis: ille perpetuo latrans exangues^d umbras territat, hic Balhorn non solum per noctes perque dies latrat sed mugit, ululat, grinnit et rugit mordencium ad instar bestiarum; illum tria capita habere perhibent fabularum ingeniosi conflatores, hic tantum unicum sed mille cellulis distinctum, quarum quelibet in suo vigore uni capiti equipollet; ille semper gulam pandit apertis faucibus, hic ora hyancia non ulla claudit per tempora, sed in eo Cerbero inclemencior, quod ipsius ora^e non nisi ingentibus auri copiis, illius vero fauces offa facta carnibus et pane ordeacio clauduntur, sicque ut diximus talis talem posuit sui corporis vigilem salutarem. Hunc igitur Balhordum, cum illum esse unum de adherentibus clare probatum sit, privatum esse declaramus omni honore, si et in quantum umquam honorem habuit, et ne locum sue habitacionis in posterum inveniat, eum ut sit profugus de curia nostra, postquam mundo pax sua dabitur, censem expellendum mittendumque in vagum exilium, ne umquam de pace gaudere valeat, qui pacis hosti assistit animo pertinaci. Et ne tantus sit rigor noster, ut omnem equitatis iurisque^f absorbeat lenitatem, parcimus sibi pronunc, quod quandam certorum iudicum sententiam contra eum semel latam, de qua nobis in iudicio facta plena fides extitit, non innovamus quoddam crimen suum recitando et,

a) *In dem Himmelsbrief wohl richtiger* sententia. b) *bono cod.*
 c) *eadem cod.* d) *exangens cod.* e) *hora cod.* f) *iuremque cod.*

1) Vgl. Deuteron. 22, 10 non arabis in bove simul et asino.
 2) Ueber den Zirkelbeweis vgl. z. B. Aristot. *Analyt. priora* II c. 5 ff., *Analyt. post.* I c. 4.